



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De occultu Dei iudiciis confiderandis, ne extollamur in bonis. 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)



tumorem in te viuere: sed ita subiectum & paruulum te exhibe, vt omnes super te ambulare possint, & sicut lutum platearum cōculcare. Quid habes homo inanis conqueri? Quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo: vt cognosceres dilectionē meam, & gratus semper beneficiis meis existeres: & vt ad veram subiectionem & humilitatem, te iugiter dares, patienterque proprium contemptum ferres.

## CAP. XIII.

*De occultis Dei iudiciis considerandis, ne extollamur in bonis.*

**I**Ntonas \* super me iudicia tua Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expauescit anima mea valdè. Sto attonitus, & considero; quia cali non sunt mundi, in conspectu tuo. Si in angelis reperisti prauitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellæ de calo, & ego

Seruus.

Iob 15.

Iob 4.

Apo. 8.

G 5

&amp; ego



& ego puluis quid pręsumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima: & qui comedebant panem Angelorum, vidi filiquis delectari porcorum.

*Pf. 77.* 2 Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam Domine subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas. Nulla iuuat fortitudo, si conseruare desinas. Nulla secura castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilantia. Nam relictı, mergimur & perimus: visitati verò, erigimur & viuimus. Instabiles quippe sumus, sed per te confirmamur: te pescimus, sed à te accendimur.

3 O quàm humiliter, & abiectè mihi de meipso sentiendum est: quàm nihil pendendum, si quid boni videar habere. O quàm profundè submittere me debeo, sub abyssalibus iudiciis tuis Domine: vbi nihil aliud me esse inuenio, quàm nihil & nihil. O pondus immensum: ô pelagus intransnatabile: vbi nihil de me reperio, quàm in toto nihil. Vbi est ergo latebra glorię? vbi confidentia de virtute concepta? Ab-  
forpta



forpta est omnis gloriatio vana, in profunditate iudiciorum tuorum super me.

4 Quid est omnis caro, in conspectu tuo? Numquid gloriabitur lutum, contra formantem se? *Eccli. 23. & Esa. 29.* Quomodo potest erigi vaniloquio, cuius cor in veritate subiectum est Deo? Non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subiecit; nec omnium laudantium ore mouebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum: Veritas autem Domini manet in æternum. *Pf. 116.*

## CAP. XV.

*Qualiter standum sit & dicendum, in omni re desiderabili.*

**I**lli, sic dicas in omni re: Domine, *Dñs.* si tibi placitum fuerit, fiat hoc *Iac. 3.* ita. Domine, si fuerit honor tuus, fiat hoc in nomine tuo. Domine, si mihi videris expedire, & vtile esse probaueris; tunc dona mihi hoc vti, ad honorem tuum. Sed si mihi nociuum fore cognoueris, nec animæ meæ saluti

G 6                      pro-